

Q. R. 541, 40

II h
268a

THESES DE
COCHLEATIONE

EJUSQUE VENENOSA CONTA-
GIONE, ET MULTIPLICIBUS
SPECIEBUS,

X1864465

Quas

Sub Praside

HASIONE LEFLERO

Narragonensi,

*Pro privato & domestico exercitio sui,
defendet*

VOLUCRINIA LEPIDA

Stutzerensis :

*In Collegij hujus facultatis penetralibus, in frequen-
tia utriusq; sexus,*

Calendis temporis praesentis, praeteriti & futuri.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA


UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

Excusae Anno M, DC, XXVII.

30



142. 1.



dix
fusa
con
xim
spec
pulo
un
min
hasi
I
non
sit v
mir
ptom
quis
mul
merc
omn
casu
I
gem
cilla
bus,
tam

LIBRARY
MUSEUM

142. 1.





I.

N superiori Disputatione de Hasione ejusq̄ speciebus à nobis proposita, satis superq̄ examinata, inter reliqua de Hasionibus Venereis & Amatorijs, hoc est, de Cochleatoribus pauca quaedam diximus, sed cum in genere scire, secundum Aristotelem, confusam tantum pariat cognitionem, & cochleatores nolint confusam habere virginum cognitionem, operæ pretium duximus, specialius de unica illa specie hoc tempore agere, ut specialior fiat Hasionum illarum specialium speculatio: Cum pulcrum sit digito monstrari & dici, Hic est, scilicet non unus tantum magnus hasio, sed & insignis cochleator: Et non minus pulcrum sit monstrari & dici, Hæc est una magna hasibilis cochleatrix.

I I. Benè autem intelligendum est, quòd nunc cochleatio non amplius sit symptoma Hasibilitatis, sed quòd Hasibilitas sit vel genus, vel symptoma saltem cochleationis, quod non est mirum, cum medicis notum sit, diverso respectu idem symptoma & morbum principalem esse posse, non secus sicut aliquis diverso respectu Hasio, Leimstenglerus, & Cochleator simul esse potest, ut etiam Puella simul virgines cochleatrices, meretrices, Leimstengletrices esse possunt, siquidem nomina omnia in IX sint generis fæminini, & utrumq̄ sit Accusativi casus.

III. Quid verò vocabulum Cochleationis significat, ex gemmagemmarum virginum, & ex Lexicis & Calepino Ancillarum peti poterit, quæ derivant illud nomen ex cochlearibus, quòd nempe ij, qui hac qualitate vel morbo affecti sint, tam libenter lingant virgines, quàm famelicus offam vel

A 2

cochlea-

cochlearia, unde postea hi agroti cochleatores, Germanicè
Lefflers vocantur, quadratq; in eos proverbium: Lecker auß
der Kuehen.

IV. Alij sunt in ea sententia, quòd nomen cochleationis
ortum sit ex pompa (visa mihi digna relatu) nempe, quòd ta-
li cuidam socio ancilla vel virgo (ancilla enim virgines non
sunt) cochlear quoddam clanculariè vestibus appenderit, &
pileo affixerit, (eodem modo ut virgini antica pars caliga-
rum adolescentis appensa fuit) unde postea hæc fabula omni-
bus cochleatoribus nomen hoc à cochlearibus fecerit, ut ad-
huc hodie sic vocentur juxta versum: Semper onos nomenq;
suum Leporesq; manebunt.

V. Sed ut ad rem perveniamus. Quid Cochleatio sit,
queritur amplius, nam licet constet ex superiore Hasionis di-
sputatione, quòd morbus sit, tamen quia hi cochleatores no-
lunt credere, se morbo laborare, creditur, quòd non sit mor-
bus, sed contra illos sciendum est, quòd licet illi hoc nesciant,
nihilominus tamen esse: nam sicut maxima fatuitas est, cum
quis se fatū ignorat, ita maximus morbus est, qui ignoratur.

VI. Est ergò Cochleatio non tantum morbus, verum et-
iam venenum, dulce primum, postea amarum, in utroq; ge-
nere, masculino & fœminino, in optativo & conjunctivo mo-
do, serpens primum ex oculis in oculos, ex ore in os, ex lingua
in linguam, ex manibus in collum & brachia, ex carne in
spiritum febriliter, sæpè etiam in abyssum carnis pestilentiali-
ter omnes venas in toto corpore humano occupat.

VII. Dicimus autem Cochleationem venenum, quòd
tam contagiosè serpat & propagetur, maximè ex conversa-
tione utriusq; sexus, non secus ut in peste contagiosa venenum
propagatur, sæpè tantum ex ipso visu, non secus ac si virgines
essent basilisci, quæ visu suo adolescentes inficiant, aut contra
etiam ab adolescentibus inficiantur, ut mutua hæc cochleatia
merè

merè ex conversatione venenosè propagetur, & in venas nervosq; derivetur.

VIII. Sicut autem multa sunt in corpore venæ & nervi, sic quoq; sunt multa figura & modi cochleandi, secundum variationem locorum affectorū, ut quivis facile intelligit, quarum prima, quæ fit ex oculis, & nervos visivos occupat, ut adolescentes & puellæ in Optativo modo, qui in Spiritu & ex oculis cochleantur, unde fit, ut puellæ per totum diem propè fenestram sedeant, ut sartorum servi, & expectent adolescentes prætereuntes.

IX. Non autem ex æquo expectant & spectant, sed cum cochleatio ratione termini, non tantum sit in quinta specie qualitatis, sed & in Pradicamento Relationis, correlativum suum cochleantem, quem Funckerum, si Dñs placet, vocant, maximopere & sitienter expectant. Qui si præterit, non directè in fenestram faciem vertit, sed acutos & obliquos facit oculorum angulos, ut & illam suam correlativam videat, & alius non animadvertat.

X. Et hoc non interdium fit, sed & noctu, tunc enim illa, domo clausa, jacet in fenestra superioris contignationis janua tali signo * notata, hic verò ante fores musica, alijsq; instrumentis exhibet ei chorum, & canit illud Orlandi, Surge, propera. Item, Ich kan schleichen / Steh auff vnd laß mich ein / Si hæc præ parentibus aperire non audet, flet in illam musicam, O suavis musica, In fine videbitur cuius toni.

XI. Sapè etiam in templo certas sibi stationes describunt, ut alter alteram, aut altera alteram videre possit, & inde fit, ut nullam negligent concionem, quâ non templum frequentent, Non propter Lazarum, sed propter Martham.

XII. In hac figura videas oculorum nutus frequentissimos, torsiones oris, motiones capitis, & pectoris, quæ gemitum præ se ferunt, sreatus, tusses breves, ehum, ehum, gesticulationes

tiones manuum, risus levicolus, Sic tamen ne rusticus intel-
ligat, ostensiones manusculorum, corollarum, annulorum,
libellorum aureorum, amicularum, stropholorum, pomorum
raborum, & id genus alia, Idem faciunt in nuptiis & cho-
reis, maximè si alius cum alia, non propria correlativa con-
jungatur.

XIII. Ex oculis aliquando, non semper tamen descendit
hoc venenum in alias partes corporis, nimirum si ex optativo
modo derivetur in conjunctivum, cujus derivationis ratio
prius nobis explicanda est, quàm doceatur, quomodo in alias
partes venenum hoc descendat.

XIV. Sunt autem derivationis hujus, ut jungantur,
casus varij: Quidam enim adolescentes cum volunt non tan-
tum oculis & spiritu, sed conjunctim enter & presenter co-
chleari, & virginibus conjungi, mittunt aliquando famu-
los, per quos querunt, anne vinum & cerevisia ibi sit vena-
lis: si sit, non opus est multis ambagibus, si non sit, querunt
proximam vicinam domum, eò virgines accersunt, imò quæ
non invita eò veniunt, ibi quid agant, postea docebitur.

XV. Virgines verò ancillas suas mittunt, per quas fin-
gunt peregrinas eò venisse litteras, quas ipse auferat, ne de-
cipiatur à tabellario. Haud rarò etiam invicem sibi litteras
scribunt, & extra portas in hortum, aut alias peregrinas do-
mos se vocant.

XVI. Translationis Epistolarum miri sunt modi: nam
aliquando virgines complicant litteras in modum spiræ, &
super hanc spiram flectunt & ligant flores in modum coro-
næ, quam postea adolescentibus mittunt, unde mens illorum
mutuò patefiat: videte quæso, nonne hac fallaciâ munitio-
nes & urbes prodi possunt? Res hac verè acta est.

XVII. Sæpè folium Chartæ lusoriae mittunt, numero-
rum octo, aut novem, quod significat adolescentes debere ve-
nire

nerē vesperi circa horam octavam aut nonam, quod non tantum puella, sed famella etiam faciunt, nimirum cum maritus non est domi, aut cum fessus socius dormit sicut piger Epimenides. Ratio est, quia, cur etiam non est alacris & fortis in bello.

XVIII. Cum ergo jam derivantur in conjunctivum modum, tunc primo venenum illud contagiosum se exerit, & linguam occupat, ut nihil aliud audiatur, quam meum corculum, meum suaviū, mea columba, mea gallina (quia debet excludere ova) imò totum sensum gustus perdit & accendit, unde fit oris ad os combinatio, labiorum lambatio, vel linctura, linguæ cum lingua refrigeratio, & manuum in partes corporis varias insinatio.

XIX. Aut si hoc nondum licet, nimirum si adhuc lupus quidam sit in fabula, tunc saltem fit manuum datio, leviuscula lateris ad latus compressio, titillatio, pedum contactus, genuum ad genua, si fieri potest, applicatio, oculorum nutus, arrisio.

XX. Videmus etiam quòd non raro cum lapillis & putaminibus nucum jaculationes intendant, & petant se mutuo pomis, juxta illud: Malo me Galathea petit lasciva puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

XXI. Donec tandem lupus, qui adfuit, absit, & tunc sequuntur, quæ thesi 18. descripsimus, & præterea insinuat se venenum in omnes venas totius corporis: In Cephalicam primum, & caput utrinque ita dementat, ut videntes non videant, & audientes non audiant, & cum ament Ranam, ranam putent esse Dianam, & cum putent Amorem cadere super folium Rosa, cadit super folium, quod ex vacca prolapsus est. Quæ stupefactio sensuum inde oritur, quia omnes spiritus visivos & auditorios venenum summo suo frigore constipat, ut fiant tanquam stipites: aut summo calore exsiccant

siccet & absorbit: Utrumque enim in hoc veneno est, calor & frigus, in quarto scilicet gradu.

XXII. Sæpe in humerariam axillarem, & interiorem cubiti venam, quæ Hepatica dicitur, venenum hoc collabitur, & hinc homines ab amplexu humerorum & cubitorum non possunt iterum divelli: fortè quod fiant in venis & nervis contracti, ut tam curva brachia semel collis injecta, iterum non possint rectificare.

XXIII. Non secus sicut illi, qui in combinatione oris juncti, disjungi iterum nequeunt, cum nimirum cutis labiorum exsiccetur & corrugetur, non secus sicut crumena vetularum; ut labra iterum planari nequeant: imò ut sæpe cutis ex tot osculationibus abradatur & perfricetur. His postea peculiare unguentum pro labris præparandum est. Sed de curatione hujus morbi suo tempore.

XXIV. Rarissimè fit, ut hoc venenum in Cardiacam seu cordialem venam cadat, quia si hoc fit, tunc fit lethale: itaque maximè frequenter manet tantum in superficie Epatis & brachij in exterioribus venis, membranisque oris & linguae, juxta illud: Amo te quidem, sed non ut ducam: & verba puellarum folijs leviora caducis.

XXV. Fit tamen aliquando, ut in cardiacam cadat, sed tunc est magnum periculum, quia inde derivatur in adolescentibus in ramum alicujus venæ ferè medianæ, in qua excitat spiritus & inflammat, ulcusque excitat purulentum, à quo nisi caveant sibi correlativa cochleatrices, statim in magnas cadunt passiones, acquiruntque innumeros morbos complicatos, ut tumorem & obstructionem, quæ postea vitæ & mortis periculum inducunt.

XXVI. Et hæc species est pestilentialis, cum nimirum venenum, ut in definitione diximus, ex carne in spiritus, ex spiritibus in abyssum carnis prolabitur, quam ut omnes diligenter fugiatis, admonendi estis. In

XXVII. In hanc formam cadunt illæ fœminæ, quæ adoles-
centes domos & hortos suos semper frequentare jubent, &
subjiciunt consilia, quomodo nimirum illud occultare possint,
nimirum jubent chartam & pennas secum portare, ut videã-
tur populo aliquid scribere: & revera sic se res habet, quia
scribunt illi Socij, non tamen in charta, sed palimpsesto litte-
ras, ut vocant, versalicas, seu magnas, quas ad vivum, jux-
ta exemplaria artificis, sic exprimunt, ut nihil habeas, quod
improbes suo tempore.

XXVIII. Nunc aliquid adhuc arcanum & secretum de
Natura hujus veneni explicabo: Aliquando hoc venenum
non est contagiosum & non egreditur egrotum, sed manet in
uno subjecto. Et hæc cochleatio spuria est, & improprie sic
dicta.

XXIX. Queris, quando hoc fiat, & in quibus? In vir-
ginibus æquè in adolescentibus: Sunt enim adolescentes, qui
uxorem ducere volentes, omnes virgines ex æquo contemnunt,
nulla est tam pulchra, tam elegans, tam benè constituta, quin
illi habeant, quod in illis vituperent, & jubent sibi pingi u-
nam, ad cujus similitudinem si non aliquam inveniunt, in
se venenum hoc retorquetur.

XXX. Ejusdem farinae sunt quoq; virgines, quæ licet sint
maturæ ut nuces, non possunt tamen ullum invenire adole-
scentem, qui vel incessu, vel barba, vel oculis, vel naso, vel
genis, situq; corporis illis non improbetur, quos vexant, delu-
dunt, sic tamen, ut dum vexent & deludant, vexentur ipsæ,
& deludant se ipsas.

XXXI. Fit enim ut cum diu elegerint, postea negligan-
tur, & maneant, quæ sunt, senescant, fiant pecora campi, ob-
scura capita, quæ tandem Dijs agant gratias, si vel claudum
Vulcanum, vel Saturnum, vel Æsopum aliquem accipiant
apud manum; Dignum scilicet patella operculum.

B

Sic

XXXII. Sic ubi venenunt in eodem subiecto permanet, incipiunt sibi solis placere. Et adolescentes emunt magna specula, magnos pedines, strigiles, miseramq; suam barbam & capillos pectunt, repectunt, tondunt, retundunt, capillos apud aures & in fronte crispant, collaria jam sic, jam aliter corrugant, pileos purgant, repurgant, & diversimodè collocant, & seipsos non secus ac feles lingunt.

XXXIII. Idem faciunt virgines, nisi quòd illis barba ovalis negotium nullum faceat: illæ emunt viscosas strigiles, genas pingunt fucis, orant ad specula novo pietatis cultu, nempe cum in libris precationum habeant specula, in quibus suam imagunculam specularunt, & ex toto corde adorant, & invocant seipsas, siquidem se Deas, Veneres, Junones & Helenas esse presumant.

XXXIV. Quæ hæc specula secum non habent, illæ cum volunt domo exire, ante speculum componunt os semel, & postea vel non vel vix id ipsum iterum aperiunt, ne plicas istius compositionis corrumpant, & de novo iterum sic componere nequeant.

XXXV. Et hæc cochleationis species contemnenda non est, cum multa viderimus exempla, quæ hac impropria cochleatione tandem ad propriè sic dictam cochleationem pervenerint: Est enim Parasceve ad sequentem scenam.

XXXVI. Redeamus nunc ad superiorem propriè sic dictam cochleationem inter utrumq; sexû, & quasdam cochleationum distinctiones doceamus, quæ sunt, quòd quidam cochleatores sint felices, quidam infelices, ut e.g. qui volunt puellis strophiola abripere, & illis invitis discindunt. Et qui puellas invitæ volunt super braccas & genua collocare, & invitæ alijs modis familiariter tractare, & qui quando non possunt cum virgine cochleare, cum ancilla cochleant. Illi enim in hoc Donato cochleationis suam Felix non benè didicerunt, juxta illud:

illud: Amare & non amari, sive non gustare, facit Diabolum murmurare. Et hi possunt etiam hebetes dici, ad differentiam aliorum, qui acres dicuntur.

XXXVII. Est adhuc nova distinctio, quam bene notate, quae inservit ad dignoscendos Tyrunculos ab artificibus, nam quando quidam vix veniunt ex schola A. b. c. d. a. r. i. a, statim tam hasibiliter discurrunt, ut hac peste inficiantur, & postea se tam ineptos praebeant, ut dici nequeat: Hi nondum sunt lepores, sed cuniculi in hasibilitate: in cochleatione verò sunt cochleatores in sedecimo: Artifices verò veterani cochleatores sunt in folio: Intermedij sunt in quarto & octavo.

XXXVIII. Id verò aequè in adolescentibus ac puellis contingit, in quibus etiam sunt quaedam in folio cochleatrices, quae non tantum unum, sed vel decem correlativa seu Junkeros habere possunt, & eos mirum in modum tractare, unum vexare, pedibus calcando, alterum, manus dando, tertium arridendo. Non minus etiam inter eas sunt quaedam in sedecimo, quae, ubi vix cunas egressae sunt, nondumq; acum vel colum tractare didicerunt, statim discunt se juvenibus agglutinare, quia urit maturè, quod vult eire dure manere: & A teneris assuescere multum est. Intermedia sunt in quarto & octavo.

XXXIX. Tandem dicenda sunt prognostica illius morbi signa, seu veneni illius affecta: Sunt autem ea, pecunia emulatio, & febris in crumena, quia, qui vult cochleare, debet pecunifare. Debet enim dare amiculas, catenas, pallia, monilia, & hujusmodi alia: Virgines pileorum spiras, strophiola, coronas, &c. Item Rivalitas, si pulchra: Si deformis, crux & explosio. Item, planctus & luctus. Nam quando adolescentes abeunt, ut hanc veneni contagionem vitent, oritur luctus & stridor dentium, sietus, ejulatus, & sic corbisatio, de qua fortè aliàs plura. Item successio alterius post amissionem unius. Nam successore novo tollitur omnis amans. Sym.

9X
TH
2680

XL. Symptomata sunt omnes eae affectiones, quae in Ha-
sibili qualitate accidere dicta sunt.

XLI. Signa sunt magnum oculorum albumen, gyratio
eorundem, frequens pallor, gemitus profundi, annuli dupli-
cium manuum, aut corculi transfixi signa gerentes. Tremor
venae ferè mediana, & reliqua phantasia, quae thesi 12. supra
recitata sunt. Plura vel qui ipse cochleator est, vel cochlean-
tium assilivus comes & spectator est, observare poterit: Inte-
rim caveat tamen, ne illa contagione simul spectando corri-
piatur, juxta illud: Qui claudo cohabitatur, claudicare
discit. Et, qui picem tangit, inquinatur ab eâ.

COROLLARIA.

1. An omnis cochleatio sit parasceve ad sequentem scenam nu-
ptiarum, conjunctionis & oppositionis? Negatur.
2. Uter sexus, masculus an feminæus, fertilior & maturior sit ad
cochleandum. Respondetur, pro sexu femineo.
3. An rusticorum servi cum ancillis rusticis dicantur etiam co-
chleare? Respondetur, quòd non, quia rusticus venter non
gignit sensum tenuem, sed crassum.
4. An una actio cochleationis faciat habitum? Affirmatur,
contra omnes Logicos.
5. An cochleatio fieri possit in instanti? Affirmatur contra o-
mnes Physicos.
6. An in sistemate cantus cochleatorij, ex amaro & dulci fiat
bona harmonia? Affirmatur, quia repercussio in tertio &
quarto modo est A Mi in La mi.
7. Uter numerum de cochleatione sit perfectior? Responde-
tur, Binarius contra Arithmeticos, qui dicunt numerum de-
narium esse perfectissimum.



1077

mi



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



*dix
fusa
con
xim
spec
pulo
un
min
hasi
I
non
sit v
mira
ptom
quis
mul
mer
omn
casu
I
gem
cilla
bus,
tam*

